

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 8276

**Auteur(s) :** Guillaume du Buat [prêtre]

**Bénéficiaire(s) :** Soligny-la-Trappe, Notre-Dame de La Trappe (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1259, 15 août

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Guillaume du Buat, curé de Feings, accorde à l'abbaye de la Trappe la conversion de deux rentes annuelles, l'une de quatre livres, l'autre de cent sous, qu'elle lui devait, en une rente annuelle de douze livres, payable à lui d'abord, puis, en cas qu'il précède, à Nicolas du Buat, chanoine de la Toussaint de Mortagne, leur vie durant.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Charencey Hyacinthe (Comte de), *Cartulaire de l'Abbaye de Notre-Dame de la Trappe*, publié d'après le manuscrit de la Bibliothèque Nationale, Alençon, Renaut de Broise (Société historique et archéologique de l'Orne), 1889, S. « De nemoribus », n° XXX, p. 473-475.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis, Guillelmus de Buato, rector ecclesie de Fenis, salutem in Domino. Noveritis quod, cum abbas et conventus Domus Dei de Trappa, cisterciensis ordinis, tenerentur michi reddere annuatim quatuor libras annui redditus monete cursalis in Corboneto, quamdiu viverem, pro redditu quem eis acquisieram apud les Boscheaus et apud Mascheta, et centum alios solidos annui redditus in festo sancti Remigii, cum jam dictis quatuor libris, annis singulis, michi vel mandato meo, in perpetuum, ea vero ratione quod ipsi habebant et tenebant medietatem parchi de Soligneio, videlicet totam partem Nicholai Chevroel, militis, domini de Soligneio, super quam totam partem idem Nicholaus Chevroel vendiderat et assignaverat michi, dicto Guillelmo de Buato, dictos centum solidos, michi dicto Guillelmo et mandato meo in perpetuum recipiendos in festo supradicto, ratione mee emptionis, quam feceram a dicto milite, postea vero ego, dictus Guillelmus, et dicti abbas et conventus ita pepigimus et... Guillelmus ipsis abbati et conventui dimisi penitus et quitavi in perpetuum dictas quatuor libras annui redditus et alios centum solidos annui redditus similiter, ita quod ego, dictus Guillelmus, vel aliquis alius ex parte mea in eisdem quatuor libris et centum solidis non potero aliquid de cetero reclamare, tali conditione et pactione apposita inter me et ipsos, quod ipsi dederunt et concesserunt, pro redditibus supradictis, michi, jam dicto Guillelmo, et Nicholao de Buato, canonico Omnium Sanctorum de Mauritania, duodecim libras annui redditus monete cursalis in Corboneto quas ipsi tenentur et tenebuntur in futurum reddere michi Guillelmo, quamdiu vixero, annuatim, per manum cellararii sui vel alicujus alterius monachi Domus sue, infra quindecim dies proximo et continue post festum Nativitatis sancti Johannis Baptiste subsequentes, et, post decessum meum, eidem dicto Nicholao, similiter quamdiu vixerit. Post decessum vero nostrum duorum, ipsi abbas et conventus erunt in perpetuum de dicto redditu liberi penitus et immunes. Et sciendum quod ipsi obligaverunt michi et dicto Nicholao decimas suas de Torto Robore et in contraplegium posuerunt, ita quod ipsi, quamdiu vixerimus, unusquisque in tempore nostro capiemus pro rata nostra de dictis decimis suis in grangia decimali vel alibi, si ad alium locum per ipsos vel per aliquos dicte decime forsitan traherentur, usque ad tres modios bladi, videlicet medietatem frumenti

et medietatem mestalli, et usque ad valorem trium predictorum modiorum in frumento, mestallo in ordeo et avena, si tres modii frumenti in rata ipsorum non poterunt inveniri. Qui tres modii frumenti et mestalli a nobis dictis G[uillelmo] et N[icholao], vel mandato nostro, sicut in area communi mensurabuntur cum participibus suis vel in grangia decimali, antequam ipsi vel mandatus ipsorum possint aliquid ex nominatis decimis levare vel capere vel capi facere, si a solutione predictae pecunie aliqua vice nobis G[uillelmo] et N[icholao] vel cuilibet nostrum in vita sua in dicto termino cessaverint facienda. Preterea teneri volunt et concedunt dicti abbas et conventus et permittunt, voluntate spontanea, ut ipsi nobis, cuilibet in vita sua et tempore suo, omnia dampna et expensas que et quas sustinebimus pro defectu solutionis supradictae pecunie et pactionis factae inter nos et dictos abbatem et conventum, ad dictum nostrum sive alia probatione, tamen cum juramento dicti N[icholai], penitus emendare, resarcire et indempnes penitus conservare [teneantur]. Et ad hec omnia predicta firmiter tenenda et observanda, dictis abbati et conventui ego, dictus G[uillelmus], dedi eis presentes litteras, sigilli mei munimine roboratas, in testimonium et confirmationem dicte rei. Actum anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> L<sup>o</sup> nono, in Assumptione Beate Marie, virginis gloriose.